



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Reginonis Abbatis Prumiensis Libri Duo De Ecclesiasticis Disciplinis & religione Christiana

Regino <Prumiensis>

Parisiis, 1671

35. Ut Diaconus ante xxv. annos & sacerdos ante xxx. non ordinetur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-14622**

Ut Diaconus ante xxv. annos & sacerdos  
ante xxx. non ordinetur. *Ex Concilio  
Arelatensi quarto, cap. i.*

XXXV. Et quia in ordinandis Clericis antiquorum patrum statuta non ad integrum, sicut expedit, observata esse cognoscitur, ne fortè quorumcunque importunis & inordinatis precibus sacerdotes Domini fatigentur, & ea quæ toties sunt præcepta transgredi compellantur, hoc inter se observandum esse definiunt, ut nullus Episcoporum Diaconum antè quàm xxv. annos impleat ordinare præsumat. Episcopatus verò vel presbyteratus honorem nullus laicus ante præmissam conversionem vel ante xxx. ætatis annos accipiat.

Ut pœnitentes & digami non ordinentur.  
*Ex eodem, cap. iiii.*

XXXVI. Nullus pœnitentem, nullus digamum, vel internuptarum maritos in prædictis honoribus audeat ordinare. Et licet hæc etiam propè omnium canonum instituta confiterint, tamen ne cuicumque sacerdotum supplicandum, sicut jam diximus, importunitas vel suggestio iniqua surripiat, necesse fuit ut nunc severiorem regulam sibi velint Domini sacerdotes imponere. Et ideo quicumque ab hac die contra ea quæ superius sunt comprehensa Clericum ordinare præsumpserit, ab ea die qua hoc ei potuerit approbari, anno integro Missas celebrare præsumpserit, ab omnium fratrum caritate noverit se alienum.